

**VALERIO DUROV  
SEPTUAGENARIO  
(MMXV)**



constantis expers indolis omnium  
Fortuna regum scepra pari modo  
non vult teneri plurimosque  
spina latens apices fefellit.

sunt aura cursu quos agili favens  
palma revinctos vexit ad hospitos  
portus, at oppressum per omne  
mille malis agitabat aequor

gnatum Laertae casus amarior,  
Scylla sodales nunc inopes truci  
praedante, nunc insaniore  
remigium feriente fluctu,

donec paternis redditus areis  
cum comprobata coniuge filium  
exceptit amplexu paratum  
iam sinuare parentis arcus.

virtute pollens et specie nitens  
mentisque proles inclyta acumine  
    quam dulce lenimen senectae,  
    scis, Valeri, pater invidende,

quassae carinae qui memoraberis  
rexisse clavum tempore turbido,  
    sacris Camenarum tuendis  
    callidus atque peritus auspex.

doctrina damno sospes ab extero  
Musisque pubes invigilans erit  
    merces negoti, quod subisti  
    bis decies doliturus annos;

ac mole duri nobilis imperi  
vanam arcuisti corde superbiam:  
    hac arte Cincinnatus olim  
    vomere avens iteravit uncum.

nunc absit omnis fronte severitas,  
nunc apparatu, nunc opus est mero;  
    nunc inverecundo abstinere  
    non licet immodicoque Baccho.

credam colonos Elysios tibi,  
dilecte, lustris quattuor et decem  
    functo propinantes odoras  
    ore pio vacuare testas,

quos inter aptis eniteat iocis  
Flaccus recumbens et rigidus Cato  
    sermone iurans obsoleto  
    posse senem studuisse Musis.

*Д. В. Кеуер*